DISPUTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE DIATHESI ASTHENICA.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. HENRICI SPENS,

UNIVERSITATIS ANDREANÆ RECTORIS INCLYTI,

ET

S. S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS:

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS CAMPBELL, A. M.
BRITANNUS,
Soc. Reg. Med. Edin. Soc.

La crédulité dans les hommes eſt en partie l'effet de leur pareſſe. On a l'habitude de croire une choſe abſurde; on en ſoupçonne la fauſſeté; mais, pour s'en aſſurer pleinement, il faudroit s'expoſer à la fatigue de l'examen; on veut ſe l'épargner, et l'on aime mieux croire que d'examiner. Or, dans cette ſituation de l'ame, des preuves convaincantes de la fauſſeté d'une opinion nous paroiſſent toujours inſuffiſantes. Il n'eſt point alors de raiſonnements ou de contes ridicules auſquels on n'ajoute foi.

HELV. DE L'ESPRIT, Diſcours 3. p. 43.

Ad diem 16. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,

M,DCC,LXXXI.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Ampliſſimo viro

J O A N N I,

COMITI DE BREADALBANE ET HOLLAND,

VICECOMITI TAY ET PENTLAND,

DOMINO DE GLENORCHY,

PRIMO EQUITUM BALNEI,

ET

CLASSIUM SCOTICARUM PROPRÆFECTO:

Qui, plurimis et ſummis honoribus functus,
In quibus omnibus,
Et
Toto vitae tenore,
Pari fide et dignitate,
Omnia optimi civis
Officia patriae cum praeſtitiſſet,
Et,
Vitam privatam,
Propinquis caram, amicis utilem,
Omnibus aequam,
Humanitateque et cultis moribus
Ornatam,
Egiſſet,
Ad amoenum tandem inprimis receſſum,
Ubi anteacti aevi,
Cum otio et tranquillitate,
Fructum,
In extrema, meritiſque pariter et annis gravi, ſenectute,
Perciperet,
Receſſit;
Ob debitam tantis virtutibus reverentiam,
Praeſtitamque ſuae domui amicitiam.

Item,

Item,

Praeclaro viro

JOANNI CALLANDER

A CRAIGFORTH, BARONI,

Antiquariorum apud Scotos Societatis Socio Honorario,

Et

In rebus externis a ſecretis principi ;

Ingenio, literis omnigenis, humanitate,

Morum cultu, et vitae integritate,

Inſigni,

Apollini pariter et muſis

Dedito, caro,

Artium, quotquot patriae,

Quotquot generi humano,

Uſui ſunt,

Cultori praeſtanti,

Ab omnibus bonis

Honorando, colendo, imitando,

Hunc primum ſuum in re medica laborem

Sacrum voluit

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIATHESI ASTHENICA.

HACTENUS poſiti in diatheſi phlogiſtica morbi ſoli fere medicis innotuere, et alius alium vario exercuere judicio. Ut priſca magis omittantur, poſt Sydenhami tempora vix ulla curatio fuit, ſine ſanguinis aut humoris alicujus detractione: In cibi materia, e genere plantarum petita, cauta carnea, in potione aquoſa, meraciore vitata, quae victus ratio antiphlogiſtica dicitur, omnis fere adminiſtratio * conſtitit. Si quem morbum profluvium ſanguinis, ſi quem ſpaſmus, ſi quem convulſio, comitaretur, ubiubi aliquod inflammationis ſimulacrum, quantumvis omnibus ſignis comitibus, item noxis excitantibus a

A †　　phlo-

* Brunonis Elem. Med. xxx, cxxi. p. 115.——118.

phlogiſtica differens, ubiubi pulſuum crebritas, ubiubi calor, quantumvis a phlogiſticis diſcrepantia, occurrebant, quin et in maniſeſta paralyticae labis debilitate, ipſoque febrili languore, ad ſcalpellum decurrere, corpus varie purgare, ex plantis confectos cibos jubere, aut inediam praecipere, hactenus moris fuit. Debilitas quidem non ſaepe percipi non poterat; ſed quae prius conceptarum opinionum vis erat, ſine ullo curationis commodo. Cui, perinde ac ſi ſola phlogiſtica diatheſis ſubeſſet, contraria prorſus abeſſet, aut plethora, aut irruens in fibras motrices violenter humor nervoſus, aut irritatio, aut ſub ſpaſmo nimia corporis actio ſuboriens, aut denique mobilitas, occurrentia, et ſedatricem, ſcilicet, curationem ſibi vindicantia, ſemper obſtitere.

Verumenimvero ineſſe puram toti corpori debilitatem, omnis contrarii adfectus expertem, et varia, quae contrariae ſignificationis credita ſunt, et nunc quoque vel maxime creduntur, ſymptomata ex eadem pendere, e communi cauſa profluere, iiſque quae roborant tollenda auxiliis eſſe, argumentis planis, eoque validioribus, quod e rebus certis et exploratis omnia petita ſunt, commonſtrare conſilium hujus operis eſt.

In diatheſi aſthenica tradenda, primum quae poteſtates eam faciant; dein quibus ſignis cognoſcenda ſit; tum quae ſit quorundam ſymptomatum eam comitantium natura; denique quo in ſtatu corporis ipſa conſiſtat, exponetur; poſtremo, multos morbos, tum ab eadem, tum inter ſeſe, differre hactenus credito ad eam pertinere,

nere, et unam quandam morbi formam communem, quibuſdam nullius momenti rebus alias aliter variantem, componi, oſtendetur.

POTESTATES DIATHESIN ASTHENICAM FACIENTES;

Seu

NOXÆ ASTHENICÆ.

Ut diatheſis phlogiſtica, cui haec omnibus rebus opponitur, ſemper a noxis nimis ſtimulantibus, nimiamque in corpore incitationem relinquentibus, exoritur, ita deficientem incitationem, in qua aſthenica poſita eſt, non ſemper parum ſtimulantes noxae faciunt. Nam, praeter rectam quam hae pariunt debilitatem, par altera eſt, nempe, indirecta, quae ab ipſis ſtimulatricibus noxis, iiſque validius etiam, quam ubi alteram diatheſin creant, agentibus, infertur. Noxae enim phlogiſticae, quoties eorum opus ultra metam tentum eſt, et, nimis ad extremum incitando, incitabilitatem jam exhauſit, aeque certam debilitatem, ac vel maxime aſthenicae, conſtituunt. Sic quae noxae validiſſime ſtimulantes peripneumoniam faciunt, eae validius etiam agentes, incitationem omnem, exhauſta incitabilitate, delere, et mortem ipſam inferre, ſtimulando poſſunt *; cujus quidem rei clariſſima exempla nulla

* Brun. El. Med. xviii.——xxi.

nulla noxarum, ſtimulando agentium, non, ut mox videbitur, ſuppeditat. Quod cum ita ſe habeat, ita noxis, debilitatem ſive recta, ſive eventu, parientibus, aſthenica naſci diatheſis neutiquam dubitanda eſt *.

Porro, per diatheſeos aſthenicae cauſam non ſolum debilitatis id, quod juſtos morbos creat †, ſed minus eo id, quod, ad illos viam faciens, jam ab exacta ad amuſſim valetudine recedit ‡, intelligitur. Perpetuum enim et inſeparabile ab hac doctrina eſt, nihil in morbo exſtare, quod non prius in opportunitate extiterit, eaſdemque poteſtates tam morbum quam opportunitatem facere, eademque auxilia ad utrumque tollendum pertinere, nec ullam niſi magnitudinis ſubeſſe differentiam. A qua ratione hoc praeterea commodi ad artem devenit, ut una eademque opera occurrere ſimul, et mederi, in debilitate poſitis morbis, addiſcatur. Neque id ſine uſu eſſe poteſt; utpote quod communem, qua opportunitas et morbus inter ſe natura conjunguntur, copulam, hactenus diſruptam et fallentem, reponat.

F R I G U S.

Noxarum diatheſin aſthenicam facientium in primis potens frigus eſt. Quod, ubi modicum magis eſt, a

* Loc. modo rel. et xxii.——xxv. xxxiii.

† Ibid. xxx.

‡ xxxi.——xxxiii.

a calore aliiſque ſtimulis exceptum, aut cum iis alternans, ſuperatur, et talem effectum, qualis a vero ſtimulo eſſe ſolet, poſt ſe relinquit. Id quod, incitabilitatem ſervando, et per hujus abundantiam ſtimulorum effectum intendendo, efficit *. Verum, quoties hoc non accidit, et ſive mora, ſive magnitudine, ſive abſente omni, quo corrigatur, ſtimulo, ſuam naturam ſequi ſinitur, ſemper frigus debilitat. Quantum ad motum imminuendum valeat, nemo ignorat. Idem ſenſui, ſed non niſi vehemens, officit. Satiſque modicum adfectuum et cogitandi vim retundit. Hinc ad aſtheniam viae faciendae peridoneum eſt. Hinc tuſſis ſenilis, hinc diarrhoea, hinc podagra, hinc aſthma, hinc epilepſia, hinc paralyſis. Nec ulla morbi forma eſt in debilitate conſiſtens, ad quam creandam illud non concurrit. Quo principio, quare adeo adverſus variolam, cujus in nimia diatheſi phlogiſtica eruptionis magnitudo poſita eſt, idem frigus valeat, puſtularum numerum imminuat, et in omnibus phlogiſticis adfectibus auxilium in primis efficax ſit, haud difficile intelligas. Idem, eodem modo debilitando, vernas hujus regionis tertianas excitans noxa potentiſſima eſt. Quin et ibidem typhum, ut videatur, ſolum ſaepe creat. Nec ipſa peſtis, quantumvis ejus contagio valeat, ſine frigore, et ſimiliter debilitantibus e communium genere noxis, incidere conſuevit. Quae omnia cum ita ſe habeant, quam aſthenici morbi formam, ad quam inducendam frigus non ſummopere valeat, invenias?

Hoc

* Brun. El. Med. xxxiii. cxxxiv.

Hoc frigoris opus eſt recta debilitans, quod humor omnis vaporatione augere ſolet *. Unde in plurimis morbi, ſive phlogiſtici, ubi hic ſtimulo ſuccedente effectus ſuperatur, ſive aſthenici, formis, plurimum ſaepe detrimenti ſuboritur, diligentiſſime prohibendum, et ubi id omiſſum fuerit, quam primum idoneis auxiliis avertendum.

C A L O R.

Quamvis calor, citra nimiam vehementiam conſiſtens, valediſſimus ſtimulus eſt, adfectibuſque phlogiſticis accendendis potentiſſimus †, quoties tamen aut morando, aut ſaeviendo, aut frigore non temperatus, nimius ad extremum eſt, incitabilitatem exhauriendo debilitatem eventu nunquam non procreat. Ut ſic debilitans, incitationem imminuere, vel pro tempore tollere, notus eſt, ſic eodem opere fibras muſculares, pro firmis ſimplicibus habendas, pro rata parte laxat ‡. Hinc quoties ejus opus ſudor, quod in magno eo perpetuum eſt, aſſequitur, univerſorum vaſorum maxima laxitas, ac proinde diametrorum amplificatio, incidunt. Nimius calor, qualis hic, ſaepius et per conſuetudinem accidens, ad omnem morbi aſthenici formam viam

* cxxxvi.
† cxxxvi.
‡ xix.——xxi.
§ l.——lii. cxxxii.

viam facit. Hinc in ardentibus coeli plagis, ubi in perpetuo quaſi ſuae perſpirationis balneo incolae tenentur, ſumma ſirmorum vivorum atonia, ſumma ſimplicium laxitas, eoque vaſorum omnium, praeque caeteris in ſummo, ubi noxa maxime viget, corpore diametrorum amplitudo. Hinc in India Occidentali, pariter et Orientali, magnus ubique languor, inſigniſque debilitas, miſeros mortales affligunt. Hinc omnium generum ſpaſmi, interque eos tetanicus horrendus, item convulſiones, ſanguinis profluvia paſſiva, febres remittentes, continuae, continentes, in peſſimam notam putredinem inclinantes, et, uno verbo, omnis aſtheniae formae, dira ſtrage graſſantur. Unde quam debilitans noxa caloris tantum ſit, haud difficile cernitur.

CIBUS EX PLANTIS PETITUS.

Ex victus partibus, cibus, e plantarum genere confectus, ſola fere materia eſt, quae non ſatis ſtimuli praebeat. Cujus utique generis quoque eſt caro diu ſalita, indurata, jamque aliquantum corrupta, aut quicquid ejuſmodi, ſua natura ſolutu in ventriculo difficile, ut caſeus, reperitur. Haec omnis materia non ſatis ventriculo ſtimuli ſuppeditando debilitat. Cujus ut brevior uſus quodammodo tolerari poteſt, ita longus incitationem infra id ejus, quod ſecundae prorſus valetudini convenit, decidere ſinens, viam ad aſthenici morbi

morbi formas facit, haſque demum ſuſcitat. Hinc, quanquam deficiens alimentum quiete et deſidia ex parte penſatur, ſaltem tolerabilior redditur ; Indi tamen religionem Brachmanianam profitentes, neque animo, neque corpore, vigent, et ſingulorum Anglorum penſum duodeni exequi nequeunt. Quod iis uſu quidem venit, etiamſi coeli ardores tutius hoc cibi genus, quam alibi foret, efficiunt. Quovis tempore podagra, quovis dyſpepſia, uno cibo ex hac materia conſtante, concitari in opportunis poteſt. Et quoties tenuis victus, cujuſmodi talis cibus non eſſe non poteſt, noxis febres juſtas excitantibus, et jure, adnumeratur ? Quot intermittentes, jam ſolutae, materia ex plantis non ſunt reductae ? Nonne peſti, ſive venturae, ſive decedenti fames, ad quam hujus materiae uſus vergit, inimiciſſima ? Hypochondriaſis deficienti alimento, quale ex plantis omne fere eſt, recte inter alias conſimilis operis noxas, tribuitur. De his inter medicos, qui vim tamen eorum parum viderunt, evidenter convenit. Qui poſtquam res veras anquirere, et hanc perpendere doctrinam coeperint, profecto multo plura eodem pertinere, mirantes, deprehendent. Jubetur podagra tenui victu, qualia hic ex plantis cibus, potio aquoſa, condimentorum omiſſio, ſunt, curari ; ſed talis curatio quaternas longiſſimas, ſaeviſſimas, acceſſiones, intra anni ſpatium cum concitaviſſet, ſtimulans ex carne et carnea materia cibus uno biennio, illis quarta parte leniorem et breviorem incidere

incidere ſolum ſivit. Idem in aſthmate, idem in epilepſia factum. Longa cujuſdam viri, in arte noſtra optime meriti, alimenti e plantis petiti experientia, quo minus hoc leve teſtimonium videatur, prohibet *. Tenuem victum ſimili modo epilepſiam, ſimili modo aſthma acceleraſſe, frequentia, immo fere quotidiana, reddidiſſe, conſtat. Sed quota formarum aſtheniae, id eſt, omnium in pura debilitate poſitorum morborum, pars haec eſt? Excute argumentum. Prolatam in medium ſententiam perſequere, adcurate perpende. In haemorrhagiis poſt principia, et in ſimilibus ſanguinis profluviis, ubi contra plerorumque opinionem, nihil plethorae, nihil vigoris ſubeſt, e contrario vaſa exhauſta, firma ſimplicia relaxata, viva tono fracto, ſunt, et incitatio toto corpore languet, ut, ex omnibus quae praeceſſerunt noxis excitantibus, ex omnibus ſymptomatis, et, ſi lubet, antiphlogiſticae cum tonicae curationis fructu demum comparato, judicare licet, an credibile erit tenuem victum profecturum? Porro, ad hydropem, qui in manifeſta debilitate poſitus eſt, excitandum, an nihil e plantis confecta materies, debilitantiſſima noxa, conferre, et contrarius cibus nihil ad ſalutem poſſe, judicanda? Poſtremo, cum in omnibus fere aſtheniae formis attenuans cibus praecipiatur,

 diuque

* Brun. in Prael. El. Med. cclxxvii. ccciii.

diuque praeceptus ſit, quis, quaeſo, quemvis earum ſanavit, quis vel levavit? Nonne hyſteria, nonne epilepſia, nonne paralyſis, quorum intervalla ſic adminiſtrata ſunt, medicorum opprobria permanent? Unde quid ei, quem nulla animi praejudicia tali curationi conciliaverunt, de ea credendum? An eam prodeſſe? Res renuit. An nocere? Quo modo non credat? Cum videat, cum ſciat, cum tot tantaeque res illos morbos in debilitate conſiſtere, illum cibum debilitatricem noxam eſſe, omnes ſimul, ei fidem faciant? Unde, in tot morbis prohibendis, cum aliis adminiſtrationis antiphlogiſticae partibus, cibi ex plantis petiti, tam furioſus amor? Error alexipharmacorum medicorum in cauſa eſt. Quia ii ſtimulantia et calefacientia ſua in peripneumonia, in ſynocha cum phrenitico adfectu, item in rubeola et variola, male proſecuti ſunt; docti a Sydenhamo medici non ſolum in iis, ſed per omnes morbos, ubi omnia manifeſtae debilitatis ſymptomata reclamabant, contrariam alexipharmacae curationem, nempe, antiphlogiſticam, urgere non ceſſarunt. Cui pravo curandi mori finis aliquando ſtatuendus. Satis exemplorum nova obſervatio, ſatis teſtimoniorum adfert, unde ſtimulatricem rationem illis omnibus caſibus convenire, fidei ſatis ſuperque fiat. Et inter reliqua, cibum ex plantis petitum inidoneum homini alimentum eſſe, contra viam ad hos caſus ſternere, et ipſos demum excitare, conſtat.

Hanc

Hanc materiam, panis aut paucorum aliorum forma, parcius cum carnea conjungi rectum eſt, utpote cujus moles aliquam diſtentionem, qua rectus alterius materiae ſtimulus ſuſtentetur, praebeat. Quae diſtentio alibi indirectus ſtimulus nominatur *. Eadem materia, ſub calidis coelis aut calidis temporibus, ubi calor morari ſolet, ad putredinem, ex puro carnei cibi uſu naſci periclitantem, prohibendam reſpondebit. Sed ultra eas, ſive conditiones, ſive conſilia, carneus cibus utendus; ex plantis natus, ut peſtis et ſummopere debilitans noxa, hominibus fugiendus. Maxime debilitant olera et fructus, minus radices, minime farinarea. Qui ordo eſt quo diatheſin aſthenicam inferunt.

POTIO AQUOSA VEL VALIDIORIS DEFECTUS.

Ubi aliquis rite exercetur, eoque nullam e deſidia, quae debilitans noxa eſt, ut e mox dicendis patebit, labem forte accepit, cibi bene alentis ſtimulus ſatis erit, potionis impune negligi, magiſque priore vitae parte, poteſt. Qui vero jam ante vini quotidie aliquanto, aut cuivis potioni validiori, aſſuevit, qui ex corporis labore, vel inquieta congitatione, tali ſtimulo indiget,

* El. Med. Brun. cxl.

indiget, qui denique, ventriculo ſorte ſecus ſe habente, vel ſolitam cibi copiam renuit, vel minus valide concoquit, iis, neceſſarius utilisve ſtimulus neglectus, incitationem imminui ſinens, magno malo eſſe, et, ad diatheſin aſthenicam creandam, pertinere poteſt. Potio igitur aquoſa, magiſque cum noxis debilitantibus conjuncta, ad morbi aſthenici formas opportunitatem, hasve ipſas, excitando habilis eſt. In eo vero diatheſeos, quod gravem morbum aſthenicum fecit continetque, contra priorem aegrotantis conſuetudinem, vinum vetare, aut aquoſae potioni credere, quae curatio vulgo recepta eſt, quo modo non ad perniciem recta ducat ?

CONDIMENTA NULLA.

Ut aliquid ad diatheſin phlogiſticam condimenta conferunt *, ita conſuetorum neglectus ad aſthenicam aliquid ſolus, plus aliis noxis debilitantibus additus, conferre judicandus.

DEFICIENS CUM CHYLO SANGUIS.

Eadem ratione, qua nihil diatheſin phlogiſticam validius ſanguine abundante accendit †, nihil quoque hujus

* Brun. El. Med. cxxxviii.

† Ibid. cxli——cxliv. clxxxvii.

hujus penuria ad aſthenicam creandam potentius. Cum enim ſanguinis in univerſis ſuis vaſis copia, horum ubique fibras muſculares diſtendendo, ubique earundem incitationem concitet, ac tanto magis, quanto latius per corpus hic ſtimulus pateat, nullo ſtimulo, qui corpori unquam admovetur, magnitudine cedens; ita is ſtimulus adeo validus, adeo neceſſarius, quacunque deficiens, non poteſt non prorſus contrarium ſtatum, debilitatem rectam, inducere, et tantum debilitando, quantum ſtimulando nimius, inferre detrimenti. Quantum abundans ſanguis ſtimulet, phlogiſtici morbi formarum ſymptomata formidanda docent. Quantum deficiens debilitet quaedam noxarum excitantium, qualia tenuis victus et fames, item ſanguinis, ſive caſu, ſive conſilio, ſive arte, ſive alio morbo, facta, et aliorum humorum, jactura, ſunt, declarant. Neque ſignorum nonnulla, ut pulſibus exiguis et debilibus, item pallore, addiſcitur, non eodem pertinent. Denique, ſanguinis in curatione, item aliorum humorum, detractio, et inedia, eandem rem confirmant. Quid opus verbis eſt? Quicquid ad vaſa replenda, cujuſmodi lautus cibus eſt, pertinet, id valido adverſus aſthenicos caſus auxilio eſt; quicquid eadem exhaurit, qualis tenuis victus, id potenti pariter noxae reperitur. Nec hanc ſententiam infirmat, quod in his aſthenicis adfectibus multi medici neque ſanguinis penuriam in cauſa, neque auctam copiam in curatione, vident. Res videnda eſt. Et illorum eſt, neque enim ludicra res hominum vita eſſe agnoſcetur,

tur, candide eam perſpicere. Aut enim ſeſe ſanguinis profluvia, quae poſt initia, et ſaepe ab ipſis his, non plethora, ut illi credunt, ſed inopia ſanguinis, continet, antiphlogiſticis ſuis auxiliis poſſe ſolvere, item podagram, et epilepſiam, et aſthma, et hyſteriam, et in pura debilitate poſitam apoplexiam, demonſtrandum eſt, quod neque poſſunt, neque poterunt unquam ; aut, ſi alios iiſdem malis per lautos cibos, potione merace, et omni alio ſtimuli, corpus univerſum cito et potenter excitantis, genere, mederi viderint, in horum curationes manus demum dandae. Faceſcat lentor, faceſcat ſpaſmus, faceſcant vires medicatrices, atque etiam haec incitationis doctrina abeat. Nihil hic rei cum animi contemplationibus eſt. Res verae excutiuntur, perpenduntur, judicantur. Qua ratione ſi in lite agatur, haec cito dirimetur. Sed hac ipſa agendi ratione ſanguinis in pleriſque debilitatis malis penuriam ſubeſſe, eamque in primis debilitatricem noxam fieri, concedetur.

Ut cibus igitur, potiſſimum vaſa nimis replendo, ad diatheſin phlogiſticam faciendam pertinet, et quietum vitae genus, non ſatis agentibus, ad ſanguinem percitandum, et perſpirationem ſuſtentandam, muſculis, illius opus intentat ; ita, quotquot noxae, totum corpus debilitando, inter alias, ventriculi actionem imminuunt, et, ut cibi minus juſto deſideretur, aſſumatur, digeratur, efficiunt, eae omnes penuriam ſanguinis pariunt. Et, ſimili pacto, ſanguinis omnis, ſive conſilio, ſive caſu, ſive naturae culpa, vel cujuſlibet humoris jactura quaelibet, copiam

intus

intus imminuunt. Hinc ad aſthenicos adfectus viam faciunt profluvia ſive ſanguinea ſive ſeroſa, undeunde orta, etiamſi ab initio e diatheſi phlogiſtica profluxerint. Hinc debilitas, omni noxarum eam excitantium genere nata, ejuſdem penuriae origo evadit. Hinc convaleſcens e morbis ſtatus, qui debilitatis eſſe ſolet, aſtheniae formarum periculum, haſve ipſas, exhauriendo vaſa et corpus attenuando, creat. Cum autem plethora, hic metui et ejus opinio ad perverſam curandi rationem, ſanguinis detractionem, ducere ſoleat, pro certo habeas, in nullo debilitatis adfectu plethoram ſubeſſe; utpote cum corporis ſtatus, cui ſubeſſe creditur, neque tantas ventriculi vires, omnia obtinente languore, quantae deſiderando et accipiendo nimis cibo ſufficiant, neque tantas vires concoctrices, quantae ad eum in ſanguinem vertendum valeant, recipiat. Si igitur ſola materia, unde abundantia eſſe poteſt, neque aſſumitur, neque concoquitur, quomodo ſanguis abundare poteſt * ? Quod autem plethoram ex ſuppreſſa perſpiratione, humorum et ſanguinis intus copiam cohibente, eſſe dicitur, id argumentum nihilo validius eſt. Quid enim perſpirationi adeo officit ? Diatheſis phlogiſtica ? Sed diatheſis phlogiſtica a debilitatis, de quibus hic agitur, morbis longe abeſt. Diatheſin aſthenicam dices ? Sed quo modo haec tam inaequaliter agere poteſt, ut perſpiratoria vaſcula, plus quam ventriculum et vires digerentes, adficiat ? Si propter debilitatem illa ſuo humori

* Brun. Elem. Med. ccxciii.

humori trajiciendo imparia ſunt, nonne propter eandem debilitatem haec aeque ſuo fungendo officio inhabilia eſſe ducenda? Unde ventriculi et concoctrices vires ſine fine in omni totius corporis debilitate, ſuo officio nimis, et aliae, ut hae ipſae perſpiratoriae, parum fungantur *? Exigua ſanguinis jactura, ſaepius facta, ut plus, quam ante, intus renaſcatur, efficere dicitur. Maxima pariter et minima minuere copiam ejus agnoſcitur. Quod contra omne verae ſcientiae principium eſt, et praeterea argumento jam propoſito refutatum. Debilitas enim, quam ſanguis amiſſus parit, plus perſpiratoria vaſcula, quam vires ventriculi et alias concoctrices, adficere, minime concedenda †. Pingueſcentis vituli, crebris ſanguinis miſſiunculis curati, exemplum jactatur, quo ſanguinis jacturam ad replenda vaſa pertinere intelligatur. Sed vaſa non hic replentur, nec aliud quicquam conſequitur, niſi ut ſanguis, illa nimis replens, ac proinde nimis excitans, eoque perſpirationem liberiorem ſervans, aliquanto parcior reddatur, vaſa ſuo onere leventur, minus agitentur, et perſpiratione ſic quoque imminuta, oleo, alias per cutis foramina, in vegeta perſpiratione, dilapſuro, in adipis divertendi cellulas fiat facultas ‡. Omnes ſtimuli corporis pariter et animi pinguedini, et inter reliquos ſanguinis motus, maxime obſtant. Cui omnium abſentia maximeque

* Brun. El. med. ccxciv.——ccxcvi.

† Ibid. ccxcviii.

‡ Haller.

ineque vaſorum tranquilitas, favent. Utque curſus et labor, quibus ſanguis percitatur, et valediſſimi ſtimuli univerſo corpori objiciuntur, in pinguefaciendis pecudibus caventur, ſic ipſius ex ſua copia ſanguinis velocitas, in detractione relata, fugitur. Non igitur inde ſanguis abundat, ſed abundare prohibetur. Manetque inconcuſſa concluſio, ſanguinis copiam non a perſpiratoriorum vaſculorum majore, quam alibi, inertia, humores intus cumulante, ſed a cibi accepti et digeſti copia, pendere; et, ubicunque hujus inſtrumenta languent, perſpiratoria et omnia alia toto corpore languore pari teneri.

Profluvii ſanguinei, ſaepe in adfectibus debilitatis magni, in magno robore mediocris, ratio, plethorae in illis adfectibus opinionem commendavit. Sed in iis caſibus ſanguinem non abundare, contra deficere, hoc patet, quod in ſummi vigoris adfectibus, quales maxime memorabiles phlegmaſiae ſunt, nullum fere profluvium accidit, et in manifeſta totius corporis debilitate, qualis longa profluvia cauſa continet, idem ſaepe modum ſuperat. Minuſne ſanguinis in peripneumonia, ubi tanta detractione ad ſalutem reducendam opus eſt, quam in menorrhagia longa, ubi ſaepius iteratum profluvium, item per artem detractio, et antiphlogiſtica adminiſtratio, corpus prorſus, ut omnia debilitatis extremae arguunt, exhauſerunt, ineſſe dices? Quin in ipſis haemorrhagiis, quas nuncupas, utrum initio, cum aliquid diatheſis phlogiſticae ſubeſt, an poſtea, cum illud jam in aſtheniam manifeſtam, ex

C † cauſis

cauſis relatis, tranſiit, ſanguinem magis abundare judicas? Ut eam abundantiam majorem in phlegmaſiis, quae profluvio nulli patent, quam in ineuntibus haemorrhagiis, quarum id inſigne ſymptoma eſt, vero victus fateare neceſſe eſt; ita in his, quam diutius moratis, jamque veterantibus, et multa debilitatis ſigna prodentibus, longe plus ſanguinis eſſe, inficias iri nequis. Et quidni? Nonne omnia corporis cum debilitate attenuationem plane monſtrant? Nonne parciſſime deſideratur, languidiſſime digeritur cibus? Nonne pro validis, plenis, et modice crebris, nunc debiles, graciles, et celerrimi, quod penuriae ſanguinis certum indicium eſt, pulſus reperiuntur? Sed perſtant profluvia, ſed augentur. Quid tum? Nullane ejus rei ſine plethora explanatio eſt? An non poterat vulnerum ratio ad verum ducere? Poſt quae ſemper eo minus ſanguinis plaga, quo vires magis valeant, ſemper eo plus, quo laxius et debilius corpus ſit, emittit. Quod ideo fit, non quia in illo, quam hoc caſu, ſanguis minus abundat; ſed quia in hoc cum imminuto tono, laxatae quoque pro rata parte vaſorum muſculares, pro ſimplicibus habitae, fibrae, conjuncta ſaepe pari aliorum firmorum ſimplicium laxitate *, non ſolum eidem, ſed multo minori, impetui, facilius cedunt. Converte alio mentem. In quibus febribus mediocribus, an in extremo languore poſitis, ſanguis promptius foraminibus cutis diffluit? Certe non in illis,

* Brun. El. Med. l. li. lii.

illis, ſed in his, fateberis. Et cauſa quoque in promptu eſt, ſcilicet, progrediente cauſa debilitante, magis magiſque frangitur fibrarum vaſorum tonus, imminuitur denſitas, maxima incitationis diminutio fit, et ſumma atonia et laxitas ſuperveniunt. Hinc ſine vi a tergo, aut in debili illa quae ſubeſt, diametri extremorum vaſculorum amplificati ſanguinem omnes undique dimittunt. Quod ut fit, ita quis in hoc corporis ſtatu plethoram occurrere, aut ſanguinem abundare, dixerit? Non igitur profluviorum magnitudo plethorae opinionem tuetur; ſed veri explanatio contrariam ſententiam firmat, et tanto minus ad profluvia prona vaſa eſſe commonſtrat, quanto, inter alias poteſtates incitantes, a ſanguinis copia, quae incitantiſſima eſt, magis ſuſtententur.

Operae quoque pretium argumentum, quo hic error* capitalis ſtetit, a menſtruorum ratione tractum. Quae quia pleriſque medicis ex plethora pendere credita ſunt, inde, ob rationis ſimilitudinem, morboſa quoque profluvia ex eadem origine eſſe judicata. Quod totum argumentum uno hic dicto corruit, ſcilicet, menſtrua a ſtimulo amatorio pendere, et hoc dato copioſiora aut parciora, prout debilius aut validius corpus ſit, fieri ſolere. Sic fuſiſſime debiles, in quibus, ob cauſas relatas, parcus ſanguis eſt, parce, robuſtae, in quibus abundat, menſtruant. Corporis habitus, coelum, omnia, hoc dictum firmant.

Aliud

* Brun. El. Med. ccc.

Aliud argumenti pondus, graviſſimumque adverſus celebratam plethorae doctrinam, ex adfectuum, qui ei accepti relati ſunt, infelici per ſanguinis detractionem et adminiſtrationem antiphlogiſticam et attenuatricem curatione, ſponte ſeſe offert. Qua nullus ſublatus morbus, nullus levatus, nullus non exaſperatus, et ſaepe immedicabilis redditus. Monſtra unam haemorrhagiam veterantem, cujuſmodi aſthenici adfectus omnes ſunt, unum aſthmatis, unum epilepſiae, unum hyſteriae, jam in longitudinem quoque excurrentis, exemplum, quod, iſta medendi ratione lenitum, nedum ſublatum, ac non, e contrario, prorſus irritatum, aut in exitium ſerius aut citius verſum, ſit. Quae a plethora pendere podagra judicatur, ea nunquam ſanguinis miſſione, ſed omni curationis attenuantis genere, ſollicitatur. Quarum haec aeque ac illa nocet, ut nova medendi felixque ratio declarat. Verum, ſi ulla plethora, ullus vigor, hunc adfectum cauſa contineret, tam ſanguinis detractio, quam attenuans curatio, non poſſet non auxilio eſſe. Contraria igitur prorſus vulgo creditae ejus morbi cauſa fatenda. Quin et, quoties ventriculi actio poſt longam luxuriam tandem deficit, tanquam ei quoque malo, ſanguinis abundantia, vigor nimius ſubeſſent, ad ſupra et infra purgationem, item attenuatricem curationem, ſemper decurritur. Verum, cum cauſa hic indirecta debilitas ſit, ita horum recta debilitantium uſus eam augeat, et cauſae vim duplicet, neceſſe eſt *. Quod, ut in poda-

gra,

* Brun. El. Med. lviii.

gra, in qua ventriculi ſtatus vera dyſpepſia eſt, evictum, ita in altera ea dyſpepſia neutiquam dubitandum. Cum debilitate igitur hic quoque, non abundantia, ſed penuria, ſanguinis ſubeſt. Et quidni? Quam diu cibus valde deſideratur, copioſe aſſumitur, et potenter digeritur, ſi abundat ſanguis, an poſtquam ille, neque deſideratur, neque aſſumitur, neque ſi quid acceptum ſit id digeritur, etiam abundabit? Non ita eſt. Corpus vivum humanum ſemper ita ſe habet, ac poteſtates, a quarum actione omnis vita pendet, in id recens agerint; nullaque permanens diatheſis eſt *. Aequa veri ſpecie, plenos vix fame morituros, ac tenui victu, atque aliis debilitantibus noxis, adfectos, non protinus in aſthenicam diatheſin, et exinanitum vaſorum ſtatum, tranſituros, dixeris.

Ab opportunitate igitur ad adfectus phlogiſticos, hiſque ipſis, quorum peripneumonia exemplo ſit, ad eam, in qua aſthenicorum morborum poſitum eſt periculum, hoſque ipſos, puta, hydropem, menorrhagiam, paralyſin, typhum, ſanguinis copia cibi ſumpti et digeſti copiae, exacta ratione, reſpondet, id eſt, tanto major eſt, quanto plus diatheſeos pholgiſticae; tanto minor, quanto hujus minus, plus aſthenicae, ſubeſt. Hoc omnes poteſtates incitantes, ſecundam valetudinem cauſa continentes, omnes noxae utramvis morborum formam excitantes, omnia utramvis ſolventia remedia, ſupra contradicendi licentiam declarant.

* Brun. El. Med. *vi.* xii.

clarant. Eſt igitur cibus ex plantis petitus, et aliarum atque concoctricium virium debilitas, potentiſſima ſanguinis in multis morbis, ubi is abundare fictus eſt, penuriae cauſa, et haec rurſus debilitantiſſima noxa. Nihil igitur certius et validius ad aſthenicam diatheſin, eo vaſorum ſtatu, qui pro plethora habitus eſt, id eſt, ſanguinis in vaſis, undeunde orta, penuria, ducit.

ANIMI ADFECTUS,

Ut metus, terror, dolor, tanquam quorundam morborum, quos in debilitate poſitos, licet aliter vulgo exiſtimetur, conſtat, nempe paralyſios, apoplexiae, epilepſiae, hyſteriaeque, cauſa commemorantur; nec, quantum ad fibras excitandas debilitantes, quae vulgo ſedantes perperam dicuntur, adfectus valeant, quiſquam ignorat; ita iidem in omni caſu aſthenico debilitatem augent, ante morbi adventum faciunt, et ſic ſive ſoli, ſeu cum aliis debilitantibus noxis conjuncti, viam ad eum ſternunt; uno verbo, diatheſeos aſthenicae omnis, ſive majoris, ſive minoris, manifeſta origo evadunt. Quod autem ſedare, i. e. incitationem, ante alicunde creatam, minuere vel tollere, dicuntur, id falſa prorſus ratione receptum. Semper, quamdiu vita ſupereſt, aliquis adfectus ad incitandum pertinens, pluſque aut minus incitans, ſubeſt, ſine cujus effectu, incitatione, ſuboriente, vita temporis punctum exiſtere non poſſet; ut hoc patet, quod neque nota

eſt,

eſt, neque concipi poteſt, adfectuum plus minuſve incitantium abſentia. Spes, cupiditas, eo, quod jucundum eſt, potiundi, ejus, quod injucundum, vitandi, voluntas, gaudium, unumquemque, dum vita ſupereſt, exercet. Horum gratorum, eoque incitantium, ſtimulantis operis ſumma quaedam unicuique in hac rerum ſorte contingit. Quae imminui poteſt, non ex toto deleri. Eademque, prout rerum quae adpetuntur conſequendarum copia major accidit, major et incitantior, in minore minor, minuſque incitans, ad debilitatem ſaepe creandam exiſtit: Quis ſine ſolatii aliquo dolet? Quis ſine ſpei aliquanto timet? Si incitans adfectuum gratorum vis multum ingratorum vi imminuitur, pro ratione qua id accidit, imminuitur incitatio, debilitas ſeſe infert. Sed nunquam ex toto abeſt aliquid, cujus ſpes aut poſſeſſio ſtimuli aliquid praebeat. Poteſt aliquis ſummopere animo dolere, luctu adfligi, ſummopere terreri. Sed hi adfectus nunquam ſoli ejus animum occupant. In ipſa morte ſpes non deſerit. Summa adfectuum ſemper ſpectanda. Ut ſedantium igitur adfectuum opinio prorſus falſa eſt, ita injucundi adfectus, quia jucundis minus incitant, eo magnitudinis pervenire poſſunt, ut id ſtimuli, quod ſaluti, id quod ipſi vitae, opus ſit, minus ſuppeditent. Inde debilitas, aut, ſi velis, ejus tantum, quantum morti inferendae par ſit, exoriuntur. Ut hoc raro, illo nihil ſaepius, accidit. Quo magis ingratorum adfectuum ſumma intenditur, diutiuſve permanet, aut ſaepius recurrit, eo ad diatheſin aſthenicam,

quae

quae ad morborum ſtatum opportunitatem facit, inducendam potentior evadit. Ubi vero jam imminet morbus, una eorum acceſſio, inclinantem debilitatem impellere, et morbum concitare, poteſt. Quod utrumque tanto certius eveniet, quanto magis aliae noxae debilitatrices ſimul operam conferant. Ut igitur in quibuſdam morbis hanc noxam jure cavendam inter medicos convenit, ita in omnibus aſtheniae formis valere, ratio ſuadet, res certa firmat.

Sed non ſolum ſua natura non ſatis incitantes, id eſt, debilitantes, adfectus hoc faciunt; verum etiam ii qui nimis incitant, ſeu ſtimulant, qualis ira, immodicum gaudium, ultionis cupiditas, ſunt, incitabilitatem exhauriendo, et ſic incitationem delendo imminuendove, eodem pertinent, eoque certius et promptius, quo magis aliunde corpus jam ante debilitatum ſit *.

DEFICIENS AUT SUPERANS MENTIS ACTIO.

Hominem ſemper, niſi in ſomno profundiore, cogitare notum et certum eſt. Ab ipſis inſanis, ab ipſis amentibus, aliena cogitatio non eſt. Cujus tamen, adeo inevitabilis, modus quidam ad ſecundam valetudinem requiritur. Is tenor quidam lenis, menti jucundus, et neque

* Lib. relat. cxlvi. xix. xx.

neque nimis, neque parum, excitans eſt. Qui ubi deeſt, ubi cogitando habilis, de qua re, aut ſtudio, aut oblectatione, cogitet, non habet, neceſſarius, quantum hoc fit, ſtimulus corpori ſubtrahitur, eoque incitatio imminuitur, debilitas ſuccreſcit. Deficientem mentis exercitationem languor corporis ſequitur. Hinc in aſthenicam diatheſin proclivitas. Quae noxa, diutius permanens, major evadit, major etiam, ſi cum aliis debilitatricibus, quod plerumque uſu venit, conjungatur.

Verum, ut ſic deficiens mentis actio diatheſin aſthenicam creare periclitatur, ita nimia eundem effectum etiam potentius concitat. Qua nihil, ad debilitandum et incitationem imminuendam, magis poteſt. Hinc podagra, hinc epilepſia, hinc apoplexia et paralyſis, ſummopere concitantur, eoque validius, quo aliae noxae, eventu debilitantes, magis operam conferant. Ex eadem origine inquietudo, amentia, et plus minuſve tota malorum aſthenicorum turba, profluunt. Agit autem, incitabilitatem exhauriendo, ſic incitationem minuendo tollendove, ut indirectae debilitatis cauſa.

CONTAGIO.

In pleriſque aſtheniae formis, quae pro totidem morbis, inter ſe diverſis, male omnes a medicis habentur,

 contagio

contagio cauſae minime particeps aut eſt, aut eſſe dicitur. Sunt autem aliae in quibus haud ambigue nocet. Harum praecipuae et ſolae prope ſunt, cynanche gangraenoſa, dyſenteria, typhus, et peſtis. Nam, licet materia noxia ſaepe ad febres intermittentes faciendas pertineat, et aliquando contagionis quid habere dicatur, hoc rarius tamen, ac ne pro certo quidem accidit, eoque illa, ut minus pro contagione, ita liquidiſſime pro noxa febrifica, habenda. De contagione, aut materia febrifica, ſub his formis adparente, tanquam inter ſe genere diſcrepante, volumina ſcripta ſunt, ſane ſine ſperando ex tanta laboris mole fructu.

Cum enim morbi, modo relati, ſive in aliis noxis ad eas concitandas pertinentibus, ſive in ſignis, ſive in poteſtatibus vim morboſam depellentibus, conſiderentur, manifeſte communis omnibus natura eſſe agnoſcetur. Quae enim noxae, praeter debilitantes relatas, ad eos, una cum propria de qua agitur, creandos concurrunt? Quae auxilia cuivis eorum medendo, et non reliquis pariter, conveniunt? Ecquid ſignum, niſi manifeſtae debilitatis, in quoquam eorum cernitur? Ex quo argumento ſolo hoc pro certo et comperto habendum eſt, aut nondum idonea morborum diverſitati explorata auxilia eſſe, aut multis, qui pro longe diverſis habiti ſunt, prorſus communem naturam exiſtere. Anthraces et bubones et carbunculi poſſent peſti proprii eſſe, et nihil tamen cujuſquam momenti in eo morbi ſtatu, qui veram ejus naturam conſtituit, oſtendere differentiae. Dummodo enim communis corpori

ſtatus

ſtatus incitatio deficiens, ſeu debilitas, eadem, quae in reliquis febribus, ſit, iiſdemque, quae has ſolvunt, auxiliis ſtimulantibus cedat, nunquam illa cutis ſigna efficient, ut peſtis proprius morbus, contagioque eam creans, propria, et ſui generis materia, rem recte reputanti videantur. Simili modo, aliqua inflammationis ſpecie guttur in cynanche gangraenoſa laborare poteſt, iſque loci adfectus ex aliqua nullius momenti re proficiſci. Verum, quoad omnia communia corpori ſigna ejuſmodi erunt, cujuſmodi in typho aut peſte eſſe novimus, et eadem omnibus curatio conveniet, fruſtra hic quoque proprietatem requires. Sed hae diſtinctiones, utut leves, utut operae nullius pretium, ne quidem verae ſunt. Nam anthraces, bubones, et carbunculi, non ita peſti proprii ſunt, ut a typho ex toto abhorreant. Saepiuſque tantum in illa, quam hoc adparent. Nec inflammationis, quae diſtinguit cynanchen gangraenoſam, ſpecies, aut a typho, aut a peſte, aut a dyſenteria, aut a febre intermittente, aliena eſt. Contra, in hac abdominis viſcera, in dyſenteria inteſtina, haec in typho et peſte, item ventriculus, aut alteruter pulmo, et cerebrum denique ipſum, ſimili ſaepe adfectu laborant. Eoque non de rei, ſed loci differentia, agitur. Quam differentiam quis quidvis referre dixerit? Quinetiam, in ipſa febre intermittente, ubi aliquis a calore magnam differentiam ſignificari credere poſſet, et multi credunt, nequidem haec differentia refert. Quid enim is calor eſt; qui corporis ſtatus? Sanguiniſne detractionem, alvi purgationem, inediam,

inediam, et alia antiphlogiſtica auxilia, recipit? Minime. E contrario, non ſolum, qui alias acceſſionis partes, cortex Peruvianus, calorem quoque, et potentius etiam quam illas, ſolvit; ſed, ut curationes, ante hanc medicinam repertam, docent, omnes ſtimuli diffuſibiles, qualis potio valida, quale opium, et caetera, ſunt, tam ad occurrendum acceſſioni, quam in ulla ejus parte, minime calore excepto, ad medendam valent. Quin et nunc quoque, in hac ipſa regione, ſaepe vulgus, merace plenaque potione, tertianas feliciter curant. Quae ſi hic morbi natura eſt, quanto in calidis regionibus, ubi omnia debilitatis, ſive ſigna, ſive cauſae, ſaeviunt, et in remittentem, in continuam, formam intermittens febris adeo ire periclitatur, magis et certius ſit neceſſe eſt? E quibus rebus et rationibus, materiam contagioſam aut febrificam, non genere et natura in ulla cujuſquam momenti re, tantumque magnitudine, differre, manifeſtum eſt.

Ut febres, in quibus ſaepe aliena materia nocens, plus minuſve, aut vix contagioſa, corpore recipitur, non eo inter ſe differunt, quod haec, diverſae ipſa naturae, diverſos adfectus creat, ita nec aliis aſtheniae formis ulla re paulo majori diſcrepant. Diſtinguit intermittens genus interpoſita acceſſionibus a pyrexia. Cujus rei, nobis incognitae, cauſam anquirere nihil attinet, eoque minus, quod, quamdiu morboſus ſtatus permanet, neque noxis antecedentibus, neque ſignis neceſſariis, neque auxiliorum ratione, haec ab aliis febrium aut aſtheniae formis, differt. Diſtinguunt peſ-

tem

tem ſigna cutis relata, ſed non proprie. Diſtinguit typhum debilitatis magnitudo mentiſque adfectus, dyſenteriamque inteſtinorum vitium. Sed ea omnia aut talia ſunt, qualia debilitas alias fert, eoque nulla vera diſcrimina dant, aut, ſi qua ſymptomata a materia morbiſica naſcuntur, ea nullam labem pariunt, quae propriam curationem ſibi vindicet. Materia nocens corpore recipitur, intus ſermentiſcendo multiplicatur, in omnes receſſus diffunditur, cumulatur, ac tandem foraminibus undique diffluit. Aliquod temporis, quo id fiat, requiritur. Quod brevius aut longius erit, quo expeditior ſit aut impeditior ex communi debilitate perſpiratio *. Verum inde novi nihil, ad commune aliis aſtheniae formis medendi conſilium, accedit. Univerſis eadem ſtimulandi ratio convenit. Quae res quam febres ejuſdem generis, ac alii, in debilitate poſiti, adfectus, ſint, vel una ad fidem ſufficit, ſed aliae pariter graves non deſunt.

Sine debilitantibus noxis, quae ſupra relatae ſunt, opportunitatem creantibus, nulla febris, ne peſtis quidem ipſa, quantumvis potens ejus contagio videatur, incidit. Opportunitatem febribus praecedere, hanc debilitatem eſſe, debilitatem a noxis aſthenicam diatheſin facientibus, quae fuſius jam expoſitae ſunt, creari, rebus, quae, in medio poſitae, omnium judicio patent, examinatis et perpenſis, inficias iri non poteſt. Ita ſine fame, ſine animi dolore, ſine metu, aut immodico

* Ibid. cccxxxvi. ad cccxl.

modico concubitu, et ſimiliter quae debilitant, graſſans per populum peſtis nemini nocere ſolet *. Eaedem noxae reliquis febris formis etiam manifeſtius praecedunt, et ad morbum viam faciunt. Quin et ſaepe accidit, ut iiſdem, ubi nulla contagio occurriſſe oſtendi poteſt, illae noxis naſcantur. Febris autem intermittens, quae ad inquinamenta calore et parco humore creata, vulgo referuntur, non ſolum ſine paludum vicinitate, ſine caloris vehementia, ſed in manifeſto frigore, neutiquam humore, quantum cerni poteſt, adjuvante, ſaepe naſcuntur. Unde enim, ſi non hinc, tertiana verna, multos Scotiae agros infeſtans, eſſe fingenda? Si in agri Marſii, qui optime omnium colitur, non ſolis locis campeſtribus, ſed ſicciſſimis collibus et montium jugis, planam regionem cingentibus, illa febris, et ipſo menſe Martio frigidiſſimo, exoritur, an etiam ad calorem, etiam ad humorem, et ab his orta inquinamenta, cauſam rejicies? Aut multum fallor, aut nulla alia tertianae Scoticae origo, praeter ſolitas noxas debilitantes, praeque reliquis frigus, anquirenda eſt. Quo certius hoc tibi ſit, vulgus egens, rudiſque plebecula, quae iis noxis maxime objicitur, ſola fere plectitur, et melioris conditionis incolae, quorum tota vitae ratio magis ſtimulans, magis roborans, eſt, periculi expertes degunt. Si igitur in frigidis regionibus, et verno, frigidiſſimo illic tempore, febris intermittens adeo evidenter noxis debilitantibus

* Cull. Praelect.

bus naſcitur, eaque morbi forma, tum noxis excitantibus, tum ſignis, poſt explicatum calorem, neutiquam ancipitibus, tum tota medendi ratione, eadem eſt, quae autumnalis regionum calidiorum, magnitudine tantum differens, leniorque, quomodo cauſam differre, et non eandem prorſus eſſe, finxeris? An, in iis orbis plagis, nulla corpus humanum, et non contra omnia, debilitant? Ipſe calor, diu permanens, et nimio ſtimulo incitabilitatem brevi exhauriens, ſicque finita incitatione, indirectac debilitatis origo exiſtens, firma ſimplicia reſolvendo, vivorum tonum deminuendo, eoque ſummum mortali generi languorem communicando, ſolus ad hunc effectum ſufficit. Verum alia, quantum debilitatis ſubſit, teſtantur. Quis ventriculi ſub iiſdem ardoribus ſtatus? Nonne, per ſummum illius inſtrumenti languorem, cibus parciſſime deſideratur, ſaepe faſtiditur, imperfectiſſime concoquitur, in ſanguinem aegerrime vertitur? Quanta inde ſanguinis boni penuria, vaſorum inanitas, ſit, quantopere corpus omne langueat, neceſſe eſt? Quin et exercitatio, in temperie coeli eam perferente, tantopere ad robur pertinens, in iis locis aut nulla, propter orientem cito ſub calore fatigationem et ſudorem, eſt, aut, his protinus eam, et ad finem uſque, comitantibus, maxime reſolvens, tonum maxime frangens, et ſummopere debilitans, poteſtas evadit. Denique, aſſiduus et inevitabilis caloris ſtimulus, qui omnibus temporum punctis corporibus mortalium incumbens, ſenſibilitatem et cupiditates auget, inter reliquos ſub debilitate

tanta

tanta ſuſcitat libidinem, cujus ſtimulo, penetrantiſſimo et exhaurientiſſimo, flagrantem firmorum materiam in cinerem demum vertit. Adde huc, ad eandem cauſam acceptos referendos animi adfectus, propter ſtimulum cito ſuborientes, et pro tempore vehementes, ob debilitatem brevi ſeneſcentes, ſed frequentia tamen, caeterorum ſtimulorum, indirectam debilitatem facientium, effectum intentantes. Adde debitum ex idoneo cogitandi tenore, qui, ob ſtatum corporis commemoratum, nullus hic eſſe poteſt, in iiſdem plagis ſtimulum negatum, et hinc quoque adauctam debilitatem. Quibus omnibus rebus conſideratis, non deeſſe, quae febrem intermittentem concitent, noxas, ſine jactatis vulgo inquinamentis, fateberis. Hinc in plaga torrida, apud Indos utroſque, remittens febris tantam ſtragem edit. Quae ſi intermittentis ullo modo naturae particeps eſt, quod inter medicos videtur conveniſſe, an ſemper paludes vicinas, unde oriatur, habet? Cumque caloris opus tam manifeſte id ſit, quod modo et ſupra expoſitum, et, reliquarum diatheſin aſthenicam creantium noxarum inſtar, debilitando noceat, quam rationem idoneam, quare is inquinamento gignendo, et non communi cum aliis ejuſmodi noxis opere debilitando, hanc febris formam faciat, excogitaveris? Profecto in locis, ubi paludes procul abſunt, et ardoris nihil madidum, nihil udum quidem, vix ullam fere humoris particulam, relinquunt; ubi contra caloris et aliarum noxarum debilitantiſſima vis viget, febris remittentis frequentia illam, non ab inquinamentis,

mentis, ſed a pura debilitate, quae alias omnes febrium, et aſtheniae non febrilis, formas facit, oriri, clare monſtrat. Unde, ſi aliis in locis paludum vicinitas inquinamentorum ſuſpicionem facit, idem tamen hinc ſuboriens effectus eandem cauſam evincit, eoque, non proprio, ſed communi cum aliis aſthenicis noxis opere, inquinamenta quoque agere, declarat. Quo minus autem hoc ita ſe habere dubites, eandem morbi formam, ex frigore cum aliis noxis aſthenicis conjuncto, naſci, revoces in animum. Noviſſimum, ex quo eadem ſententia ſummum firmamentum accipit, argumenti pondus, intermittentis et remittentis febris in continuam formam, et contra, tranſitio, praebet. Quod quo modo fieri poſſet, ſi aut illam inquinamenta, aut hanc formam febrilem contagio, proprie facerent. Quomodo forma illa, quam inquinamenta facere creduntur, nulla idonea cauſa interpoſita, in illam, quam contagio creare fingitur; aut ea, quam contagio, in eam, quam inquinamenta parere, intelliguntur, tranſeat? Si aut contagio, aut inquinamenta, utriuſvis cauſa ſint, quomodo cauſae effectus ſuperſtes eſſe queat? Non poteſt. Cum igitur continua febris forma noxis communibus tantopere, tamque manifeſte, naſcatur, ſaepe ad contagionem, aut materiam alienam, accepta referri nequeat, contra non raro a ſolo frigore concitetur *, et intermittens, a frigore et aliis noxis debilitantibus exoriens, etiam per populum graſſetur, ab iiſdem noxis, et calore ſimili

 ratione

* Vide ſupra.

ratione nocente, ſaepe ſine minima inquinamentorum ſuſpicione, longe lateque in plaga torrida, ſaeviat; et in utraque forma ſive contagio, ſive inquinamenta pro certo ſunt admota, ibi tamen ſemper communes noxae praecipuus mali ſons ſint, et ſine his illa nihil valeant; denique, cum omnia ſymptomata, remedia omnia, nullum praeter debilitatem ſtatum inductum, declarent, et ſolam eam in medendi conſilio reſpiciendam confirment: Ex his omnibus rebus, certis, exploratis, confeſſis, idque ponderis, quod hactenus receptas rationes ſat ſuperque degravet, habentibus, contagionem, quae una eſſe demonſtrata eſt, et inquinamenta, quae ab hac, niſi non aut vix inficiendo, et per fallacem calorem decipiendo, differre declarata ſunt, vel nihil agere, vel cum communi noxarum aſthenicarum opere, tantum concurrere, ſimiliterque debilitando nocere, atque hoc ipſum, cum eorum vis ad communium noxarum vim confertur, perquam imbecille praeſtare, concludendum.

Ut contagio et inquinamenta ſimiliter, ac reliquae noxae debilitatrices, ſed imbecillius, et ſine iis non omnino, agunt, et plenus, ex conjuncto eorum cum reliquarum noxarum opere, alias oriens effectus, abſque eorum interventu, ſaepe incidit, eoque ad diatheſin aſthenicam, ad morbi modum auctam, pro rata parte, i. e invalide, creandam, pertinent; ita ad eam quoque, quae intra opportunitatem ſubſiſtit faciendam, etiam valeant necne, anquirendum adhuc videtur. Ut res vera conſideretur, eaque ſtetur, ſaepe diu materia aliena,

aliena, impuneque, corpori admovetur; eſtque, contra, ubi, ſimul ac admovetur, erumpit protinus morbus. Illius exemplum eſt, valetudinis inter ſaevientem peſtem aut typhum integritas, ubi vix fieri poteſt, ut multis, qui morbum tamen fugiunt, materia non incubuerit. Hoc peſtis Maſſilienſis et typhi in curia Old Bailly dicta, repentinus adventus illuſtrat. Quae res ut quacunque modo conſtituatur, cum leviter plerumque materia aliena agens, cum potentioribus conjuncta noxis, ad morbum excitandum pertineat; ita eandem, quoties adeſt, quoties corpori admovetur, ante morbi adventum leniter quoque, et non, niſi adjuncta quam aliae noxae ferunt, debilitate, nocere, ſed ſine ea totam opportunitatem fieri poſſe, et ſaepe fieri, judicandum.

Poſtremo, ſicut ea ejuſdem materiae, ſive plus, ſive minus, ſive minime, contagioſae, vis lenior et invalidior plerumque eſt; quandoque tamen multo plus vigere dicitur. Cujus rei primus peſtis Maſſilienſis, et typhi in curia relata Londinenſi, impetus, luculentum teſtimonium eſt. Cumque, in utroque hoc et quibuſdam aliis exemplis, materia ſubtilis in alia craſſiore, ut veſte, ut mercium onere compacto, jam ante delituiſſe, inde ei fermentatio, ejus vim auctura, contingere, et ex hac, quam e laborantium morbo corporibus, oriens morbus pejor evadere, judicatur. Quod judicium, licet alias ſolidum eſſe poſſit, hoc tamen, quod nulla opportunitatis ratio habita eſt, haud paulo infirmatur. Quis enim Maſſilienſium, morbi primum vim expertorum, habitus fuerit, debilis, an alius,

tace-

tacetur; neque, ii, quos in curia relata typhus excepit, opportuni, necne, in morbum inciderint, ullo modo animadvertitur. Qua in re, ut ſaepe alias, opportunitatis oblivio, neglectus, ad res in noſtra arte detorquendas, prorſus confundendas, verum perturbandum, haud leviter pertinuit. Quod ut paucis illuſtretur: Labor, maxime ſub aeſtu, magis immodicus, magis etiam, ubi inſuper accedit, ut victu viribus non proviſum ſit, debilitantiſſima noxa eſt, uſque adeo, ut morti ſubito, quod nemini non notum eſt, par ſit inferendae. Quid aliud eſt ſubitus vitae defectus, *coup du ſoleil* Gallice dictus? Et quo in calido, minuſve perflato, loco multitudinis concluſio, niſi eodem ſpectat? An haec quoque non potentiſſima debilitatis et ſaepe repentinae necis, omnibus nota, origo? Quam rem cum ita ſe habere conſtet, et contagionis vim in longe maximo datorum exemplorum numero, ita, ut fuſius jam dictum eſt, lenem eſſe, clariſſime demonſtratum ſit, atque inter medicos etiam convenerit; non igitur tanto rerum ponderi incerta de peſte Maſſilienſi et typho Londinenſi fides, ſuſpicione veriſimili infirmata, opponenda; nec contagionis vim, adeo plerumque imbecillam, tantopere quandoque, quaſi contra ſuam naturam, valere, protinus credendum. E contrario, rerum compertarum omnium, omnis rationis ſimilitudinis, evidentia ſtandum, et leniter morbum excitare, leniter ad eum viam facere, contagionem, aut, ſi quando ut paulo plus valeat fieri poteſt, id eodem cum ſolitis aliis noxis opere omne valere, nec unquam diverſe

diverſe ab iis agere, diverſum noxae, quae ſola hactenus invaluit opinio, genus eſſe, concludendum.

VENENA.

Ut, ad id diatheſeos aſthenicae, in quo opportunitas ad aſthenici morbi formas poſita eſt, faciendum, venena vix valere ſuſpecta ſunt, tam, quia parum reſpici ſolita eſt opportunitas, quam, quia venenorum obſcura alias, ante evidentem effectum obſcurior, natura viſa eſt; ita juſtae aſtheniae formae non deſunt, ad quas excitandas, inter alias noxas, illa valere dicuntur. Earundem alia ſtimulare, alia ſedare, vulgo perhibentur. Quibus ut, cum omnibus, animalia viva adficientibus, poteſtatibus communis ſtimulandi proprietas ineſſe tam poteſt, quam credenda eſt, ita aliis eorum, contra omnium rerum naturam *, ſedandi facultatem exiſtere, non protinus aut temere concludendum. Quae quaeſtio, utut operae pretium judicari poſſet, tamen, quo minus hic agitetur, altera, ſcilicet morbos idiopathicos omnino, venena, necne faciant, prohibere, ſaltem ei praeponenda eſſe, videtur. Ad quam, quantum fieri poſſit, conſtituendam, cum nullae poteſtates idiopathicos morbos, niſi aut nimis, aut parum, ſtimulando, creent, et eae venenis, ſi excipienda ſint, exceptis, aut interea ſub judice relictis, ab iis quae

* El. Med. Brun. xi. xvii.

quae ſecundiſſimam valetudinem faciunt, neque genere, neque operis natura, differant, quod liquidiſſima demonſtratum eſt; ex ea igitur re, quam ſolidiſſima veri vis ſuſtentat, venena aut non idiopathicos morbos, quos ſola ſuperans aut deficiens incitatio continet, creare; aut, ſi creent, ſolitarum noxarum more, nimis, aut parum, ſtimulando, et nullo alio operis genere, id efficere, colligendum. Ut venena igitur morbos idiopathicos, i. e. toti corpori communes, et a noxis, in id totum agentibus, quales vitam et valetudinem quotidie continentes poteſtates ſunt, oriundos, facere, vel maxime concedatur, quoniam ſic quoque effectus eorum idem, qui ſolitarum noxarum eſt, ut cauſa eadem quoque ſit, i. e. eodem opere venena agant, neceſſe eſt. Verum ea noſtra eſt venenorum ignorantia, ut hoc minime conſtitutum ſit. Epilepſia, paralyſis, apoplexia, et ſimiles adfectus, inter alias, quae commemorantur, noxas venenis quoque naſci praedicantur. Sed, quia mortem inferentia ſymptomata, cujuſmodi ultima venenorum eſſe ſolent, ſaepe inter ſe, quantumvis diverſa cauſa ſit, ſimilia, eo decipere periclitentur; nec ulla ejus rei hiſtoria paulo certior, unde verum diſcernere liceat, contexta ſit; inde nihil de vera illorum adfectuum, qui venenorum operi imputantur, cauſa certi ſtatui poteſt, aliudve, quam, quod modo propoſitum eſt, colligi, ſcilicet, ſi quis idiopathicus adfectus a venenis unquam inferatur, horum opus idem, ac ſolitarum noxarum, eſſe, et ſupra traditam doctrinam valere. Quantum alias partium fabricam eadem venena

venena delent, is adfectus, prorſus localis, ab hoc loco alienus eſt. Sedent an non deinceps conſiderabitur.

A E R.

Aërem ſpiritui neceſſarium eſſe, omnibus innotuit. Quem alia ratione ad vitam et ſalutem conferre, nemo, quantum novi, vel minime ſuſpicatus eſt. Quod tamen ejus operum eſſe videtur. Ita, remota aëris temperie, vel certa data; quo purior ſit, aut cum rebus alienis minus mixtus, dempta ſpiritus ratione, hoc plus minuſve ſtimulare, rationi conſentaneum, a rebus haud abhorret. Quod, quo clarius percipias, finge te aliquod opus chemicum, carbonis igne in loco parum perflato, adminiſtrare. Quid fiat reſpice: Primum languidus fis, dein languidior: Mens primum ſuo officio fungendo inepta, paulatim debilior, confuſa demum, evadit: Senſus motuſque eodem debilitatis tenore ex minima hac ad maximam feruntur. Scis cauſam, periculum noviſti. Neque tamen tui movendi facultas ulla datur. Interque totum hoc opus, ut ſpiritus, inter alias actiones, ita non magis, quam ut una earum, tentatur. Quae totius hujus turbae cauſa? Sedans noxae alicujus poteſtas? Unde id noviſti? Si omnes poteſtates, in' corpora noſtra agere conſuetae, ſtimulare ſunt firmatae, quo modo hujus

hujus noxae contraria ſit natura * ? Intrans antrum caninum canis cito expirat. Quid tum ? Aër malus, et ſpiritui inidoneus, ſalutari, cujus inſtrumento recipitur, excluſo, ſuffocat. Quod nihil aliud ab eo agi, niſi quod aqua agit, nullam in pulmones propriam actionem, indicat. Nullum ſedans opus hic adparet. Noxius aër, ut chemici norunt, lentus cavum omne, quo forte ſit receptus, replet, omnem alium, ſive humorem, ſive vaporem, eoque communem ſpiritus materiam, prorſus aditu prohibet. Nota igitur haec, multumque jactata, res neutiquam ad ſedantem hujuſmodi materiae naturam firmandam adfert, ſolamque, ut videtur, explanationem traditam recipit. Sola, quae controverſiae quicquam recipere poteſt, ea eſt, cujus poſt opus omnes corporis et animi actiones imminuuntur, aut extinguuntur. De qua tamen, ſi frigus, quod nihil aliud, quam calor minor, eſt ad eaſdem actiones, dummodo ſatis intenſum ſit, imminuendas aut delendas, aeque pertinet, quod ejus opus nequaquam ſtimulo deſtituitur †; ſi in pleriſque rebus maxima omnium contagionum quam peſtis ſequitur, ſine conſuetis noxis debilitantibus, aut nihil valet, aut cum harum opere ſuum tantum confert, ſolamque debilitatem, nec ullum cujuſquam momenti diverſum opus, efficit, eoque pro debilitante poteſtate, i. e. non ſatis

* Hoc illuſtri phyloſopho, et in chemia etiam inventori, Joſepho Black, revera accidit.

† Elem. vii. viii. ad xxix.

ſatis ſtimulante, jure habetur; quid eſt, quod impura materia, quae ullo in caſu morbos idiopathicos facere fingi poſſit, non ejuſmodi prorſus eſſe judicetur, et non ſedare, ſed debilitare, id eſt, non ſatis ad corporis uſus, ſtimulare, concludatur. Si omnia alia, quae animantium corpora movent, aut nimis, aut parum, aut juſte ſtimulando, agere comperta ſunt *, cur una haec materia, ſive venenoſam, ſeu quocunque nomine nuncupas, praeſertim eam, quae totum corpus adficere exiſtimetur, diverſae naturae eſſe, et, contrario omnibus aliis rebus opere, nocere, credatur? Non credenda eſt. Et, ſi, quod in hoc caſu conceditur, quodque tradita hiſtoria ſupra confirmat, actiones imminuit, id debilitando, id eſt, non ſatis incitationem ſuſtentando, minime ſedando, praeſtare, concludenda. Sed ſubito ſaepe jugulat. Nonne ſanguinis detractio et frigus, quae non ſatis ſtimulando agunt, aeque ſubito jugulant? Et nonne omnium poteſtatum communium opus eodem plus minuſve pertinet.

Ut impurus, quavis materia vaporeve, aër non, ob res et rationes relatas, ſedare, ſed parum ſtimulando, debilitare, judicandus; ita, quo modo id efficiat, paucis dicendum.

Materia impura, intus recepta, cum ſtimulis, evidenter vitam ſuſtentantibus, conjuncta, ſummam quandam ſtimulantis operis minorem, quam quae juſto illi effectui ſufficiat, hoc modo praeſtare poteſt. Frigoris opere res illuſtretur. Merſo aqua frigida ali-

* El. Med. Brun. xxvii.

cui omnes alii ſtimuli iidem, qui ante, ſubſunt. Eadem ſanguinis copia vaſa diſtendit; eaedem res, quae animi adfectus creant, quicquid ad cogitandum vigoris cerebri fuerit, id omne, permanent. Nihil in rebus ventriculo contentis mutatur. Nihil denique, praeter imminutam temperiem, novi accidit. Quo igitur hoc evadit? Quis frigentis ſtatus eſt? Reſponſum in promptu eſt. Cum magnam ſtimuli, vitae et ſaluti neceſſarii, ſummae partem, in omnibus animantibus, calor faciat, ita is multum imminutus ſummam illam pro ratione imminuit. Unde haec, vitae paulo diutius ſuſtentandae, impar evadit. Cui ſimili ratione, alimenti, chyli, ſanguinis, et reliquorum humorum puritas quaedam ad vitam et ſalutem requiritur. Quae imminuta, ſtimuli ſummam, imminuat neceſſe eſt. Sit ante frigus admotum ſtimuli ſumma, ut xx. eaque ſaluti neceſſaria ponatur. In frigore eadem tantum, ut x. Quod accidit, vide. Summae ſalutiferae dimidium ſublatum. Debilitatur igitur homo, et debilitate ad mortem ruit. Hac imagine, veneni, ut ſtimulantis quidem, ſed perquam invalide, ſic reliquorum ſtimulorum ſummam multum imminuentis, idque uſque adeo, ut mortem inferat, natura concipi poteſt.

Ubi vero materia, quae pro venenoſa habeatur, extrinſecus corpori una cum aëre admovetur; ea puritatem aëris imminuendo, ut hic minus juſto ſtimulet, et ſummam ſtimuli, ab eo praebiti, imminuat, efficere

efficere poteſt. Quod quidem multa facere, quae nemo pro venenoſis habuit, ipſum vulgus, toties de puriore aut minus puro aëre loquens, videt. Quae rationis ſimilitudo, ad ea quae venenoſa ducuntur, recte transferenda videtur; eoque rectius, quod omnes aliae, quae animantium corpora adficiunt, poteſtates, ſtimulando agere, demonſtratae ſunt. Quo minus eo opere, quae confuſo et incerto nomine venena dicta ſunt, excipienda, et haec, quaſi alteram rerum partem, alteri repugnantem, habenda eſſe, judices.

Poſtremo, ut hanc noxarum, diatheſin aſthenicam facientium, doctrinam ad finem perducam; quoniam iis adfectus idiopathici, incitatione tantum imminuta, naſcuntur, nec ullus praeter debilitatem ſtatus morboſum creat; id quod exploratum illorum opus nocens, exploratum auxiliorum juvans, declarat: Ita tam contagiones, quam venena, dummodo idiopathicos effectus creent, eundem effectum trahere intelligenda ſunt, eadem quoque ratione agere, et minime ſedare.

Ex harum omnium poteſtatum raro ſeparato, ſemper fere conjuncto, opere diatheſis aſthenica, ſive in opportunitate ſubſiſtens, ſive ad morboſi ſtatus modum aſſurgens, nec ab ulla corpori inſita vi, ſubnaſcitur *.

Ad eandem creandam, non materia aliena morbifica, vulgo quae dicitur, ut ſupra hic ſubmonitum, et alias oſtentum

* Hanc ſententiam cum cxlviii. El. med. confer. Vid. etiam praelectiones ejuſdem de hac re viri.

oſtentum eſt *, non plethora †, non humorum tenuitas, aut quivis alius ſtatus ‡, non ex frigore conſtrictio §, non noxa quaevis ita agens, ut a mentis ſapientia opus ejus corrigatur ||, non ſpaſmus, qui febrium cauſa nuper credi coepit ¶, non irritatio **, non mobilitas ††, pertinent. Contra, omnes noxae, fuſius jam memoratae, incitationem imminuendo, idque plus minuſve faciendo, varias aſtheniae formas pariunt.

Mobilitas ea fibrarum muſcularium conditio eſſe dicitur, qua decreſcente, ad motum proclivitas creſcat. Ejuſque, in tremore, talique motus enormitate, qualis in cholera canalem inteſtinalem, in hyſteria et ſimilibus aſtheniae formis, motus voluntarii inſtrumenta exercet, exempla commonſtrantur.

Quae conditio ab animo vana fingente eſt, a rerum abhorrens natura. Imminuta enim cauſa, facilius effectum ſuboriri, ſenſui communi, omnique philoſophiae ſanae principio, repugnat ‡‡. Cumque talis fibrarum motricium tumultus cauſa, liquor nervoſus, in fibras

* El. Med. c. ci. cviii. p. 9. et 130.

† Ibid. cclxxvii. Item El. Med. ccxciii. ad ccciv. Vide et ſupra de plethora dicta.

‡ Ibid. cv. cvi. cvii cviii.

§ Ibid. civ. cxxxiv. cxxxv. clxxx. clxxxi. clxxxii. Reſpice etiam ſupra hic de frigoris opere dicta.

|| Ibid xciv. ad xcix.

¶ Ibid. cix. ad cxxix.

** Ibid. cxxi. ad cxxviii.

‡‡ Ibid. xlviii.

†† Ibid. xlviii.

fibras violentius irruens, ponatur, ea explicatio toto coelo diſtat a vero. Nam, ut humoris nervoſi, quae falſa eſt, opinio *, pro tempore et argumenti cauſa, recipiatur ; quo modo, in manifeſta totius reliqui corporis debilitate, pars quaevis ſub contrario ſtatu eſſe concipi poteſt ? Non ita eſt. Contra, ut in omni morbo, ubi incitatio augetur, ubique corporis augetur, et nulla parte imminuitur ; ita, quibus quibus in morbis imminuitur, in nulla parte non imminuitur, et in neutro caſu contrarius cujuſvis partis communi ſtatus ſubeſt †. Quod in adfectibus relatis et ſimilibus ita eſſe, noxae debilitantes ſemper praecedentes, aut comitantes, ſignorum concurſus manifeſtans cauſam debilitatem, auxilia ſtimulantia morboſum effectum, non magis reliquo corpore, quam parte laborante, depellentia, ſatis ſuperque evincunt. Quod igitur pro mobilitate vulgo habetur, id nihil aliud eſt, quam in totius corporis debilitate non robur, aut aucta quacunque vis, ac ne minor quidem, ſed major, quam in caetera quavis pari parte, urgente ſimul porro debilitante ſtimulo, debilitas ‡. Medendique conſilium eſt, non auctam poteſtatis nervoſae, quae dicitur, actionem imminuere, quod opii, ſtimulantiſſimae poteſtatis, opus falſo creditur ; ſed toto corpore, eoque in parte laborante, conveniente quoque ſtimulo adaugere, et ſtimuli, debilium fibrarum debi-

* Brun. El. Med. xxxiv.

† Cujus rei explicationem ex El. Med. xl. pete.

‡ Prael. Brun.

debilitatem porro augentis, vim depellere. Infans, quam pubes, aut adultus, ad tremorem, etiam ſanus, vicinior eſt. Idem, ex vermium, ex dentitionis, ex ſatis validi acidi, ventriculum irritantis, vi, proclivior ad convulſiones, et juſtam ſaepe epilepſiam, eſt. Mulieres, viris facilius, in enormes motus excitantur. Quod ipſum de infirmioribus maribus, cum valentioribus comparatis, dicendum. Convaleſcentes e febribus, quas maxima continet cauſa debilitas, tremunt uſque, dum ad priſtinum paulatim robur reſtituantur. Tremores omne in debilitate poſitum inſigniunt temperamentum. Quo in caſu, corporis ſtatus debilitas, excitans noxa metus, aut, in debili habitu, motus. Iidem cum convulſionibus febrili ſtatui, infirmiſſimo qui vitae congruit, ſamiliaria ſunt, et quaſi domeſtica, ſymptomata. Quorum illi ſub leviſſimo quoque motus ſtimulo, hae ex acredine, aut aliquo irritamento, incidunt. Canalis alimentarii convulſivus, in vomitu, et alvi dejectionibus enormibus, inter ſe alternantibus, ſtatus, formidabilis cholerae, pars eſt. Hyſteriam et epilepſiam, quae inſigniunt, convulſiones, a debilitantibus noxis, et voluntatis, qui pro ſtimulo eſt, effectu, proficiſcuntur. Quibus omnibus motibus, medendi conſilium, idem quod paulo ante retulimus, eſt. In tremoribus pariter et convulſionibus, viribus, ſtimulatrice curatione, conſulendum; in illis metus aut motus fatigans ſtimulus tollendus; in his, quoties intus incidunt, debilitans ſtimulus, ubi motus voluntati parentis inſtrumenta turbant, voluntatis effectus, quantum

quantum fieri poterit, auferendi. Sedandum, ut vulgo medicorum viſum eſt, ideo corpus non eſt, quod nihil in natura, quod novimus, ſaltem in idiopathicorum adfectuum auxiliis, ſedat *. Haec ſtimulantia omnia ſunt. Ad dolorem componendum pertinet quicquid acidum meracius abluat, aut diluendo retundat tegatve. Idem, ex aliis irritamentis, ut vermibus, ut dentitione, aut acredine quavis, ortus, his ablatis, aut delinitis, conſopiendus. In voluntatis culpa, ubi motus offenderit; animus firmandus, et motu, quoties noxae erit, abſtinendum. Si opium ſedet, an vinum, an potio ſpirituoſa, quae ſimili ſunt levamini, an alkali volatile, et reliqua fortiter ſtimulantia, quae diffuſabilia recte dici nuper coeperunt, prius, dein cibus alentiſſimus, fluens, firmus, excitanſque exercitatio, et ſimilia alia, quae felicem utique curationem peragunt, etiam ſedare judicanda? Graviſſimus igitur, quo opium ſedare, et mobilitas, quam illud componat, ſubeſſe, vulgo ſingitur, error depellendus; utpote, cui ſtimulatricis curationis omiſſio, antiphlogiſticae omnigenae, in ſanguinis detractione, alvi purgatione, inedia, et omni ratione debilitatrice, in morbis ex pura debilitate pendentibus, uſus, tribuenda ſint. Sane in errorum capitalium, qui medicinam peſſumdedere, caterva, haud leviſſima noxae origo mobilitatis opinio fuit, eſtque nunc quoque vel maxime.

Sive

* Vid. ſupra de hac re propoſita Elem. Brun. xi. xvii.

Sive directa, ſive indirecta, debilitas praeceſſit, in aſthenia ſenſus omnes plus minuſve hebetantur, motus, voluntati pariter, et non, obtemperantes, imbecilliores, enormes, aut, ſi quando, adaucti videantur, quatenus tamen actiones ſunt, imminuti, comperiuntur. Cor et arterias languere, pulſus exiles, debiles, et crebri ; extrema in ſummo corpore vaſcula laborare, ſiccitas, et, in majore cauſae vi, craſſiſſimi humoris ſine impetu undique profluvium, demonſtrant ; ſecretiones interiores deficere, ſeminis, lactis, inopia, deficientes relaxari, bilis, et hic quoque craſſiſſimarum excretionum diluvium, argumento ſunt; inſtrumenta digerentia labare, cibi nullum deſiderium, faſtidium, digeſtio male peracta, et manifeſta ſanguinis inopia, teſtantur. Imminutam circa cerebrum incitationem manifeſta, in omni diatheſeos aſthenicae parte, mentis imbecillitas, et animi, in adfectus ſenſuſque concitando, languor *. evincunt. Uno verbo, aſthenia eſt, ſenſus, motus, mentis et animi actiones, imminuta. Ut hic ſtatus perpetuo ſubeſt, ita aliquas, magis aliis, actiones laborare, neutiquam inſolitum †. Pura quandoque aſthenia, ubi nihil, praeter imminutarum virium ſigna, ſubeſt, adparet. Sed longe frequentius debilitatis vis, in unam aliquam, aut exiguam magis corporis partem, incumbit, eumque concitat tumultum, quem medicorum vulgus non pro debilitate, ſed auctam vim, et non toto

* Hoc confer. cum clii. El. Med.

† El. Med. xxxvi. ad xciv.

toto corpore diffuſam, ſed parte contentam, crediderit. Quo gravior error nullus eſſe potuit; utpote, quo factum ſit, ut debilitatis morbi, longe frequentiſſimi, et genus humanum maxime adflictantes, ad nimium robur et partis adfectionem, relati ſint. Quae duplex quidem erroris origo maximam inter miſeros mortales ſtragem concitavit. In dyſenteria inteſtina, prae caeteris locis, in cholera totus canalis alimentarius, magis laborant. Sed, in reliquis quoque actionibus, annon cernenda erat debilitas? Nonne noxae praecedentes latius egiſſe, et non, parte magis perturbata contentum opus, edidiſſe, demonſtrari poſſunt? Ad unum fere in hac remedium, nempe opium, ad unum fere in illa, ſcilicet variam alvi purgationem, decurrere ſolitum; quae in utraque inteſtina ſola movere, tanquam in reliquo corpore nihil foret movendum, opium vero in cholera ſedare, exiſtimabantur. Sed opium valediſſime ſtimulare demonſtratum *. Unde, reliqua quoque ſtimulantia eodem conferre, perſpicuum erat. Ad quam utique, feliciſſimam uſu compertam, curationem opii, ſedando agentis, opinio minime ducere poterat, ſed longiſſime vero abſtrahere, ad contrariam recta ducebat. Quod de his duobus morbis dictum, idem de omnibus aſthenicis dicendum.

* Vide Stuart de Spaſ. Diſputat. hic Anno 1779.

Siquis

* * * * * *

Siquis, praeſertim juvenis, a trito tramite recedit, ejus rei aliqua cauſa reddenda eſt, eoque magis, ſi ejuſmodi eſt, quae artis principiorum ſeu fundamentorum graviter interſit. Æquum igitur erit, me doctrinam hanc non ante recipiſſe, quam felicem ejus uſum in graviſſimis morbis iterum iterumque videram, et hunc recta a principiis propoſitis, fluere, jamque ad ſcientiam medicinam reductam eſſe, perſpexeram, memoraſſe. Cujus rei fidem ingenioſiſſimi viri logicae, in Academia Edinenſi Profeſſoris, praelectiones egregiae, et nova prorſus ratione conditae, haud mediocriter confirmarunt. Quae mihi novam, de qua agitur, doctrinam, non falſis rationibus, et ſomniis Ariſtotelianis, non organo, niti; ſed a concordibus inter ſe principiis, vigili obſervatione, rebus certis, exploratis, et ab omnibus conceſſis, novoque organo, pendere, docuerunt. Quantae igitur hanc et repertorem aeſtimem, ut cuique perſpicuum erit; ſic jure facturus videor, ſi illas, tanquam viam ad verum et ſcientiae omnigenae cognitionem, tam aliis quam medicinae cultoribus, quibus, nimis eas neglectui eſſe dolens animadverti, et auctorem gravem, commendavero.

F I N I S.